

tur & promouetur. Nam animus liber in verbis ut est magis præsens, & ad res ipsas intentus, ita etiam ciet corporis actiones; imo pronuntiatio, actioque talem animi libertatem sponte sequitur. Verum enimvero diligenter hinc obseruandum, ut verborum & phrasium copiam ex diligenti eorum, qui benè scribunt & benè dicunt, lectione & auscultatione comparatam in promptu habeamus, ut semper verba suppetant, quibus res animo comprehensas enunciemus.



DE RATIONE TRACTAN-

DARVM QVÆSTIONVM PO-

PVLARITER;

DIALOGVS.

ANTONIO SCHORO Auctore,

DISCIPVLVS. MAGISTER.

CVperem equidem ex te audire, quemadmodum ea ipsa, quæ his diebus proposuisti, dilatari, & popularibus auribus apta reddi possint. Nam, ita puto dixisti, doctis tantum id genus conuenire. **MAG.** Rectè quidem obseruasti. Neque etiam aliam rationem esse puto in quæstionibus iam maxime vsitatis. Videmus enim ea omnia quæ in cõcionibus tractantur, esse *seruati*. Sed cum populares aures planius & explicatius aliquid requirant, alia etiam erit opus arte, quæ id præstetur. Res ipsa ex eisdem
tamen